

lescunque spargantur calumniae, sustulit me
 Dominus e profundissimis regni Satanæ tene-
 bris, & deduxit in Ecclesiam suam, in qua lux
 illa, lux inquam vnica æternæ salutis & vi-
 tæ lucet, illuminās tenebras omnes: & in pas-
 cum verè salutare, vbi me cum grege suo pa-
 sceret. Densiores, obsecro, tenebras AEgyptia-
 cas credat quis, tenebris illis quibus obscurant
 hominū mentes, adeoque fascināt boni illi The-
 ologi, quum à Christo saluatore vnico animas
 eorum abducunt, arcentes à verbo Euangelii:
 cuius loco tenebras somniorum suorum offun-
 dunt? similes prorsus Scribis illis & Phariseis
 qui populum Iudaicum fallaciis suis perdide-
 rūt. Vbi autē maior lux quàm in Ecclesia Chri-
 sti, in qua non somnia hominum & commēta,
 sed purum & sincerum Dei verbum in dies
 administratur, quod impietates & peccata ho-
 minum detegens, errantes & vagos in viam re-
 ducit, salutem in vno Christo Redemptore à
 Patre ordinatam ante tempora secularia, pro-
 ponit, & in vitæ æternæ certissimam spem ad-
 ducit & confirmat: vbi etiam pura & genuina
 accedit sacramētorū administratio, iuxta vsum